

Perge igitur securus et satisfac præcepto aut propriæ devotioni : non privaberis fructu s. communionis.

Secundo, ut doceret etiam in fractione panis, quæ est eleemosyna (juxta id Isaïæ LIX. *Frangere esurienti panem tuum*) agnosci largitorem ejus. Dives enim eleemosynæ studiosus omnium ore celebratur, ab omnibus amatur, avarus non præsumitur, nemo invidet ei divitias, sed apprecantur omnes : denique cæli hæres non immerito censetur.

Tertio, quia etiam panis verbi Dei fractus seu explanatus, vel maxime illuminat oculos mentis, juxta id Psalm. CXVIII. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis*. De hujus

panis fractione loquitur Jeremias, Thren. IV. *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis*. Habemus ergo hic triplex oculorum collyrium quo frequenter usi sunt primi Christiani. Ita enim legimus, Act. II. *Erant perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis*, (eucharistici videlicet) *et orationibus*. Perseveret ergo Christi sectator in digno et frequenti usu s. communionis ; deinde in verbi divini sedulo auditu ; deinde in liberali eleemosynarum erogatione : et habeat non solum in vita oculos apertos ad cognoscendum Deum sibi præsentem et benevolum, verum etiam ac maxime in articulo mortis, ubi aperientur ejus oculi ad videndum Deum, *facie ad faciem*.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

QUINAM EUNDO IN EMMAUS DEVIANT A RECTO  
SALUTIS TRAMITE.

I. Qui ab Ecclesia deflectunt et fide. — II. Qui exiguam in Deum habent fiduciam. — III. Qui parum amant Deum. — IV. Qui beatitudinem in terra quaerunt. — V. Qui sine patientia cælum intrare volunt. — VI. Qui a confessione et communione paschali se subducunt.

#### THEMA.

*Duo ex discipulis ibant in castellum, nomine Emmaus. Luc. XXIV.*

Mirari aliquis posset, quamobrem Christus Dominus apparere prius voluerit duobus his discipulis, qui erant ex septuaginta duo quam suis apostolis ; saltem si Petrum demas. Mihi hæc videtur esse solida ratio, quia hi duo in majori diffidentia adeoque periculo lapsus erant, debiles in fide, spe, charitate. Sic enim et mater saniores relinquit filios, et succurrit infirmiori. Itaque hi duo cælo cæperunt ire in Emmaus, adeoque deflectere a via salutis, quasi desperabundi de Christi resurrectione ; ideo ad hos accurrit Christus, ut ad viam vitæ reducat. Utinam vero hi non multos haberent sectatores, qui cum in Jerusalem ire deberent, vel illic saltem manere, abeunt in Emmaus. Tales ergo ut ad vitam reducamus, prius inquiremus : et quidem in evangelio, ne ab ipso longius abeam.

I. Qui ab Ecclesia, vel uno fidei articulo deflectunt etiam dubitando, videntur eodem modo

deviasse, quo isti duo discipuli, qui de resurrectione Christi desperabunde loquuntur ; qui non crediderunt discipulis, et mulieribus eam confirmantibus, nec prædicationi Christi, nec prophetarum vaticiniis : quos ideo dure reprehendit Dominus : *O stulti et tardi corde ad credendum!* Quomodo enim sapiunt, qui alia omnia vident impleta, quæ prædixit Christus de passione sua : resurrectionem vere toties ab eodem pronuntiatam non credunt ? Viderunt prodigia in Christi morte, populum compunctum, centurionem et latronem credentes : et adhuc discipulum non credunt ? Sic omnino qui post tot millium martyrum testimonia, post impleta tot Christi vaticinia, de eversione Jerosolymæ, Judæorum exterminio, Petri martyrio, Joannis morte naturali, mundi conversione, evangelii per orbem disseminatione, sedis Petri stabilitate, etc. post tot miracula, et mundum conversum non credunt, merentur audire : *O stulti, etc.* Unde S. Augustinus, l. XXII. de civit. cap. VIII. ait : « Quis quis adhuc prodigia ut credat, inquit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit. » Viderint ergo hic qui ab Ecclesia catholica, et petra Romana, super quam ea fundata est, deviare audent, atque ut carnis libertate fruantur, deflectunt in Emmaus, in harum Lutheri, vel Calvini ; norint enim se certissime deviare a regno cælorum. Ad ipsos enim spectat quod dicitur Ecclesiastici II. *Vae dissolutis corde, qui non credunt Deo, et ideo non proteguntur a Deo*. Quoniam dissoluti nisi hæretici, qui ut ab omni jugo et lege liberi essent, Ecclesiam dese-

ruerunt. Unde Rupertus abbas, in Exod. cap. X. locustis eos comparat, quia ut Prov. XXX. dicitur : *Locustæ regem non habent*. Volunt enim a lege exempti vivere, et aulli parere ; quemadmodum locustæ licet oculos habere videantur, cæcæ tamen sunt, corneis tantum oculis præditæ : ita hæretici oculos habentes non vident, qui duritie proprii iudicii cæcos habent. Ergo attendant sibi, et serio deliberent, qua in religione mori velint. Deliberatio hæc de summa rerum et de æternitate est, accurata igitur trutinæ eget. Monuit hæc de re angelus Domini senem quemdam ex crassa quadam simplicitate errantem, in prato spirit. cap. CLXXVIII. « Quadam enim die apparuit ei angelus Dei dicens : Dei senex, si mortuus fueris, quomodo vis sepeliamus te ? Ut Ægypti monachi faciunt ? An ut Hierosolymæ ? Senex autem respondit ei : Nescio. Tunc ait angelus : Cogita et delibera. Post tres autem hebdomadas veniam ; et dices mihi. Pergens ergo senex ad alium narravit ei, quæ sibi dixerat angelus. Quod cum audisset senex stupefactus ex auditu, diutiusque intendens in eum, ac divinitus inspiratus dixit ei : Ubi sumis ss. mysteria ? Respondens ille ait : Ubi sumis ss. mysteria ? Respondens illi ait : Non tibi ultra contingat, ut extra sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam communices, ubi nominantur sanctæ quatuor synodi : Nicæna trecentorum decem et octo patrum ; Constantinopolitana centum et quinquaginta ; Ephesina prima ducentorum ; Chalcedonensis sexcentorum et triginta. Cum autem venerit angelus, dic ei : Sicut Hierosolymitæ sepeliri volo. Post tres igitur hebdomadas venit angelus, et dixit seni : Quid est senex ? Cogitasti ? Dixit autem illi senex : Sicut Hierosolymitæ, volo. Dicit ei angelus ; Bene, bene. Et continuo reddidit spiritum. Hoc autem totum factum est, ne labores suos perderet, et cum hæreticis condemnaretur. »

II. Qui exiguam in Deum spem et fiduciam habent, uti habebant etiam isti duo : *Nos autem sperabamus, etc.* Quia enim Cleophas tertium in diem expectans Christi ab inferis reditum, needum eum viderat, abiit in domum suam, quasi re desperata. Sed male, quia tertia dies nondum finierat. Sic aliqui Deo terminum ponunt, manus hostis daturi, nisi mox succurrat, uti cives Bethulienses, qui nisi intra quinque dies Deus mitteret ejus adjutorium, statuerunt se tradere Holoferni ; ideoque jure merito reprehensi sunt a Judith : *Qui estis vos, qui tentatis Dominum ? Possistis vos tempus miserationis Domini, et in arbitrium vestrum diem constituistis ei ?* Ad orationem ergo et confidentiam Judith adfuit tan-

dem, et succurrit ei Dominus, Judith. VIII. Eadem diffidentia deliquit rex Saul, qui jussus a Samuele expectare adventum ejus, dum scilicet propitiato Domino disceret, quod agendum esset contra hostes, septimo die videns populum diffuere metu, sacrificat ipse temere, desperans de adventu Samuelis : sed vix absolvit sacrificium, adest Samuel, et jure reprehendit regem nimium diffidentem ac temerarium : *Stulte egisti : nequaquam ultra regnum tuum consurget*, 1. Regum XIII. Hos imitantur illi, qui nisi intra tempus, quod sibi præstituunt, audiantur in suis precibus, vel successum optatum habeant, desperant de ope divina. Sed stulte. Nonne gladius Abrahamæ jam in filium strictus, in tempore adhuc fuit inhibitus ? Nimis pusillanimis fuit alius Abraham Marocci rex, qui in pugna victus a seditioso quodam Elmoselo, et urbe exclusus spem omnem salutis, et regni recuperandi abiecit, itaque uxorem charissimam a tergo vehens equum ex altissima rupe præcipitem egit, Joan. Leo. lib. II. cap. XLV. Africae. Sic desperat alius de honesta sustentatione, et incipit furari ; puella de honesto connubio, et prostituit se ; studiosus de prefectura, et militiæ nomen dat. Sed qui estis vos, qui tentatis Deum ? Videre est interdum agyrtae et joelatores, qui vitreum aliquod poculum projiciunt in altum, ut in mille partes confringendum putes : ac cum jam terræ cadenda appropinquat, dexterrima sua manu excipiunt et illæsum servant. Ita lusit Deus cum Susanna et Petro jamjam educendis ad mortem, et interim eos servavit. Unde Psalm. XXXVI. *Justus cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam*.

III. Qui exiguo in Deum amore calent, quemadmodum et hi duo, qui Dominum et magistrum suum appellant non jam Dominum suum, sed Jesum Nazarenum et virum prophetam, nisi humili titulo, quasi non audeant se fateri ejus discipulos ; solliciti fortasse, ne ignotus comes prodat eos Hebræis : fere sicut Hebræi de Moyse diutius in monte Sinai, absente : *Moyse enim huic viro, qui eduxit nos de Ægypto, ignoramus quid acciderit*, Exod. XXXII. Tales sunt, qui religionem suam profiteri non audent inter catholicos : nec ostendere pietatem inter catholicos, transeunt crucifixum, quasi eum non nossent : pudet eos publica humilitatis christianæ exempla dare. Confunduntur isti a Josepho ab Arimathea, nobili decurione, qui audacter intravit ad Pilatum et petiit corpus Jesu, idque refixit de cruce quam alii tangere horruerunt ; uti et Nicodemo principe Judæorum, (Joan. III.) qui abjecto timore 100. libras unguenti attulit ad un-

gendum et sepeliendum Dominum. Confunduntur a centurione et militibus ejus, qui non dubitarunt exclamare: *Vere Filius Dei erat iste*. Confunduntur a mulieribus, quæ non timeverunt cum aromatibus egredi ad sepulchrum, quod sciebant custoditum a militibus, clausum grandi lapide. Confunduntur denique ab ipsis gentilibus, qui non erubuerunt ligneos et lapideos deos colere: cum sciamus nos Deum nostrum in ligno quidem pependisse, sed in eo mortem vicisse, et ab inferis resurrexisse, tamquam cœleste regnum obtinere.

IV. Qui beatitudinem suam in terra quærunt uti isti duo, qui sperabant Hebræos a jugo Romanorum per Christum redimendos, et sic iterum felicissimum ac potentissimum regnum in terra, quale habuerunt sub Salomone, in summa pace rerumque abundantia habituros. Sed revera multum a veræ beatitudinis via aberrabant. In Emmaus iverunt, non in Jerusalem, non in visionem pacis. Jam redemerat Christus Israel unaque mundum totum, sed a jugo et servitute peccati, diaboli inferni: jam restituerat in libertatem filiorum Dei et hæredum cœli. Sed illi in aliam viam deflectunt: in mundum hunc calamitosum, ubi nulla vera pax et libertas. Mundus hic est terra Chabul, h. e. vilis et *lutosa*, nec digna retributio pro tantis Christi meritis et pretioso ejus sanguine. Salomon regi Hiram pro innumeris cedris et maximis ad elaborandum eas operis attributis paucas et viles civitates dedit, vilem et *lutosam* terram. Eam ubi egressus Hiram aspexit, contempsit dicens: *Hæcine sunt civitates, quas dedisti mihi frater?* III. Reg. IX. Num pro tantis cruciatibus et tot sanguinis effusionibus, ipsaque infami ac dira morte nihil aliud existimabimus datum esse Christo a Patre suo, nisi regnum hujus mundi fluxum et inane? Absit de humano corde Judaica hæc vesania. *Ridendus profecto Xerxes ille est*, inquit Ælianus, l. II. var. hist. c. XIV. *quod cum mari terrisque Jovis operibus posthabitis, nova itinera et insolitam navigationem sibi parasset, servivit platano, et arborem coluit*. Ad eam enim umbræ causa sua castra posuit, et pretiosum ornatum ex ea suspendit. Qui beatitudinem in hac terra quærunt, quid aliud agunt, nisi quod cum Xerxe fugitivam umbram quærunt, ejusque gratia terram amant? Num putamus pro tali umbra nobis comparanda tanta egisse et passum esse Christum? Xerxe stultiores sunt, qui hoc sibi persuadent.

V. Qui a via regia salutis deflectunt, et cœlum quidem intrare volunt, sed non ire ad passionem. Deviarunt etiam in hoc duo illi disci-

puli, quos ideo arguit Christus: *O stulti! Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Si per hanc viam intrare Christus debuit in gloriam suam; quanto magis vos in alienam? Crux pons quasi pensilis est omnibus transeundus, qui in cœlestem civitatem tendunt. Aspice omnes, qui in cœlo sunt, et videbis omnes per hunc transisse. Olim etiam Deus filios Israel non duxit per hortos, rivos, silvas amœnaque prata, non per cultam et fertilem terram, rebus omnibus abundantem; sed per horridum, arenosum, incultum, asperum desertum, et hostibus infestum, per ambages, per mare rubrum, cum alia via longe brevior planior, fertilior, quietior pateret, in terram lacte et melle manantem; quia voluit ut per labores et certamina, per cupiditatum refrænationem, fugam voluptatum, contemptum honorum et opum fluxarum nos intrare ad veras et æternas opes ac voluptates. In ejusdem rei signum Christus heri: (sicut in crastino evangelio audiemus) comedit prius piscem, sibi a discipulis oblatum; postea favum. Piscis, cibus jejunantium est, et quia mari innatat, penitentiam significat, favus autem mel cœlestis gloriæ notat. Et cur eorum reliquias discipulis dedit, nisi ut sciremus nobis eodem modo prius piscem comedendum, si appetamus favum? Prius jejunandum per quadragesimam, quam comedamus agnum paschalem?

VI. Qui a penitentia et communionem paschali (quam aliqui ss. patres, ut Hieronymus et August. putant Christum dedisse illis duobus) hoc tempore declinant; vel eam differunt sine causa. Declinant enim a præcepto Ecclesiæ adeoque via regia salutis. Tempus hoc paschale, tempus est, quo a jugo et servitute peccati liberati sumus, significatum per Judæorum pascha, quo ex Ægypti, ut dixi, servitute eruti sunt, in cujus beneficii memoriam unus ex vinculis donabatur Judæis in paschate quem voluissent. Nonne ergo desipis, si tu solus hoc tempore in servitute et vinculis dæmonis remanere velis? Petierunt Judæi vincitum unum malefactorem: et cur te ipsum non dimitti vis? Idem etiam religiosi sibi duxerunt, si crucifixorum corpora manerent in cruce per sabbatum: et tu vis pendere in cruce peccatorum tuorum in paschate? Certe Ecclesia, jubet tales refractarios arceri ab ingressu Ecclesiæ et post mortem etiam sepeliri extra sacrum cœmeterium scilicet, cap. *Omnis utriusque sexus*, de pœnit. et remiss. Exemplum terribile narrat nauclerus præpositus Tubingensis, volum. II. generatione XII. de quodam defuncto, de quo cum die anniversario constituto in ecclesia S. Pe-

tri Romæ celebraret Pp. Gregorius M. et cantaretur introitus: « Requiem æternam dona eis Domine, audivit vocem de cœlo: Non faciam. Sed vir Deo devotus putans illusionem esse, jussit reincipere: Requiem. Tunc rursus audivit vocem: Non faciam, quia anima illius damnata est. Prosequitur Gregorius officium, orans causam damnationis revelari sibi. Cui revelatur, quod propter inimicitias, quas remittere noluit, corpus Christi semel in anno emiserit recipere, et de hoc confessus non fuisset. »

Quando igitur vidimus non paucos deviare a tramite salutis, videat, unusquisque et interroget seipsum: Quo vadis? In Jerusalem, an in Emmaus? Et siquidem huc deflexit cum duobus illis discipulis; currat ut quam primum si eadem hora relegat, qua erravit, vitam; et regrediatur in Jerusalem, ubi Christum in medio beatorum intueri possit sine omni fine.

## CONCIO II.

CAUTELE CONTRA RELAPSUM.

I. Experientia prioris lapsus. — II. Difficultas resurgendi. — III. Graviores pœnæ.

## THEMA.

*Surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem.*

Luc. ult.

De præclarissimo et sapientissimo viro Thoma Moro, Angliæ cancellario, refert Stapletonus, in ejus vitæ c. XIII. perlatum fuisse ad ipsum aliquando, quod captivus quidam reus perrupto carcere fugisset. Quo audito aliud responsum non dedit carceris custodi, quam ut exinde carcerem diligentius clauderet atque obseraret, ne elapsus reus ad illum reverteretur et denuo intraret. Risu dignum videtur hoc responsum; quis enim hoc expectet, ut reus revertatur ad carcerem quem effugit? Voluit ergo dicere vir sapientissimus: Non erit is tam stultus, ut in carcerem denuo redeat. Et tamen hoc, quod ironice est dictum, in quibusdam aliis reis verissimum comprobatur. Fugerunt his diebus a vinculis diaboli pene infiniti homines, quando a peccatis fuerunt absoluti; designati per Barabam homicidam e carcere dimissum propter festum paschæ, h. e. propter immolatum agnum Dei immaculatum. Sed enim quam multi sunt, qui hoc paschali tempore, postquam eluctati sunt e vinculis diaboli, ad eadem revertuntur, quasi non in carcere, sed amœno loco fuissent?

II. PARS HIEMALIS.

Claudendus igitur est hic carcer et diligenter obserandus; quia (sine joco) grande periculum est ne ad eum revertantur. Duo illi discipuli eodem die quo exierant regressi in Jerusalem, ita multi eodem die, imo quandoque eadem hora revertuntur ad eadem flagitia, a quibus discesserunt. Mirandum quidem hoc et paradoxum, verum tamen quia plerique mortales animarum vincula non æstimant, nisi cum hinc ad Judicem evocantur in articulo mortis. Nos vero aliter instructi, præveniamus diem illum, et carcerem diaboli diligenter obseremus, ne quis ad illum redeat.

Non possumus, ut arbitror, melius custodire carcerem diabolicum, arcendis ab eo hominibus inde elapsis, quam custodierit paradysum Deus Adamo inde ejecto, ne ad illum reversus miserior evaderet. Muniit autem Deus paradysum, ponendo ei pro custode Cherubim et flammeum gladium atque versatilem: quod et nos faciemus, ne redeant conversi ad pristina peccata.

I. Primus ergo custos sit Cherubim. Angelus videlicet, qui *plenitudo*, vel *abundantia scientiæ* exponitur. Hic est, qui absterre a relapsu debet, plena notitia, et experientia prioris lapsus. Quod enim animal tam brutum, quod non cavet in eandem redire decipulam, semel deceptum? Pisces semel hamo læsi, non admordent eum amplius: aves semel laqueo prehensæ, si evadant, non redeunt secundo: asinus semel in glacie lapsus, non facile ad eandem impelli se patitur. Denique: *Plerique naufragio liberati*, inquit Tertull. lib. de pœn. c. VII. *exinde repudium et navi et mari dicunt; et Dei beneficium, salutem suam scilicet memoria periculi honorant*. Hinc refert Brusonius, l. IV. c. XXV. de Siculo quodam mercatore, qui cum mari intempesto ficus omnes, quas vehebat, naufragio perdidisset, postea sedens in littore et tranquillum mare videns, dixit: *Novi quid velis, ficos nimirum*, quasi dicat: Non redeo ad mare. Ex hac scientia et experientia fit, ut gravior sit lapsus posterior, quam prior. Prior enim est humanus, quasi ex ignorantia et inconsideratione aliqua profectus; posterior vero est, quasi diabolicus, plane deliberatus et ex certa scientia; qualis fuit angelorum reproborum, ideoque ex divino decreto est irreparabilis, ac venia et commiseratione indignus. Qua ex causa ss. patres excusant ebrietatem Noe saltem a mortali peccato, quod semel tantum (neque enim piscator ictus rediit) nondum expertus vini vim, inebriatus sit; similiter et primum Lothi incestum cum majori filia, in ebrietate sibi in insueta commissum, ad non item excusari potest alter ejus lapsus rursus in

ebrietate cum minore filia patrat, ut docet Corn. a Lap. Gen. XIX. vers. XXXV. Quia ex priori, inquit, expertus jam vini potentiam, suamque temulentiam, sapere debuisset Loth et cavere sibi que temperare vino, ne in secundum incideret. Hinc, arbitror, admisit Christus ex primo ejus concubitu (quo prognatus fuit Moab) velut minus culpabili progenitores aliquot in genealogiam suam. Ruth videlicet Moabitidem, ex qua Obed, avus Davidis, et tota ejus familia prodiit, non admisit vel unum ex Ammon qui secundo incestu Lothi cum minore filia natus est; ut intelligeremus ex primo lapsu facilem esse regressum ad Christi gratiam et familiam; difficilem ex secundo et relapsu. Unde diabolus in animam, e qua exierat, regressurus assumit alios septem spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi: et sunt novissima hominis illius pejora prioribus, Luc. c. XI. in primo lapsu aderat unus daemon: in secundo septem et quidem nequiores: in primo velut hospites, in secundo velut inquilini, non facile expellendi; quasi jure hospitii gaudentes. Hinc fit, ut quemadmodum daemones, qui ex malitia peccarunt in peccato suo velut caeci in perpetuum circumveant (teste S. Petro: *Circuit quærens quem devoret*, I. Petr. V. imo ipso Satana: *Circuivi terram et perambulavi eam*, Job I.) sic etiam redivivi per continuos gyros respicientiæ et relapsus, velut caeci oberrant, et nihil unquam proficiunt, juxta id Ps. XV. *Impii in circuitu ambulat*. De quibus S. Bernardus, in Ps. *Qui habitat: Qui in circuitu ambulat*, inquit, *profiscitur quidem, sed proficit nihil. Væ homini, qui sequitur hunc circuitum: qui nunquam a propria voluntate recedit*.

II. Gladius flammeus. Docet experientia, quod flammeo seu in flammarum formam secto inficta gladio vulnera difficilius sanentur. Notat igitur hic gladius curæ difficultatem, quæ sentitur in iis, qui in dimissa sibi peccata facile reincident. Quemadmodum enim illi, qui recepta valetudine relabuntur in priorem febrem et infirmitatem, magno in periculo sunt: et qui perpetuo medicinis utuntur, debilis admodum nec diuturnæ vitæ sunt sic et qui crebro reincident in priora vitia. Atque ut illi desperantur ac tandem negliguntur a medicis, quod contra eorum præscripta noxiis sibi cibis ac potibus utantur: ita et isti pro depositis habentur. Sic desertus fuit Saul a spirituali medico suo Samuele, non quando is primo inobediens Dei mandato fuit (offerendo holocaustum non expectato Samuele, I. Reg. XIII. ubi solum audiit a Samuele: *Stulte egisti*) sed quando rursum, parcendo Amalee, inobedientiam admisit, I. Reg.

XV. tunc enim abiit Samuel, non vidit ultra Saul usque ad diem mortis suæ, sed et lugebat Saulem, quoniam Dominum penitebat quod constituerat eum regem super Israel. Penituit vero Deum, quod videret jam desperatum; quomodo etiam dicitur penituisse, quod fecisset hominem, quem viderat jam aliter non posse emendari, nisi diluvii exterminio, Gen. VI. Quod idem sensit Pharaon toties relapsus post datam emendationis fidem, ad extremum et ipse in mare demersus velut desperatus. Scimus templum Jerosolymitanum ter reædificatum et ter destructum esse; sed ita ut posteriores ruinas difficilius instaurarentur. Intra septem annos primo extractum est a Salomone, III. Reg. VI. § 6. postea eversum est a Chaldæis. Restauratum est a Zorobabele post reditum Israelis e captivitate, sed non nisi intra quindecim annos, et magna cum difficultate, a structoribus armatis, obsistentibus vicinis hostibus, ut habetur II. Esd. IV. et ostendit Corn. a Lap. in c. II. Joan. § 20. Destructum est hoc ab Herode, ut in augustiorem formam repararetur, quod tamen non nisi intra quadraginta sex annos factum, habetur Joan. II. En quo sæpius destruitur templum eo tardius ac difficilius instauratur. Tandem et hoc a Tito eversum, deinceps reparari nequit, tametsi id Judæi variè tentarunt. Quod contigit illi templo, hoc contigit homini, qui templum esse Spiritus sancti deberet; quo sæpius relabatur, eo difficilius resurgit, ac tandem ad resurgendum omnes omnino vires perdit. Mystice id ostensum in uxore Loth, quæ respectans in desertam a se Sodomam, mutata est in statuam insensibilem, immobilem, et sal infatuatum, quod ad nihilum valet ultra nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus. Tales enim fiunt tandem, qui toties in idem relabuntur peccatum, stupidi et immobiles. Non est mutata in statuam, dum inter iniquos in Sodomam habitaret; mutata est, dum ad eos redire desideravit; quasi gravius sit reverti ad iniquitatem postquam semel ei renuntiatis, quam in prima iniquitate persistere.

III. Gladius versatilis, qui idem est cum flammeo, nisi quod præterea acutus, et (ut perili linguæ Heb. cum Pererio exponunt) bis acutus, splendere et flammam vomere videretur, stringique ad feriendum; qualis erat ille, quem Joannes vidit ex ore Christi iudicis exire, acutum utraque parte, sententiam condemnationis denotantem, Apoc. I. Minatur ergo Deus graviores pœnas iis, qui in peccata relabuntur, quam iis, qui primum inciderunt; et quales, nisi exterminium et mortem? Clare hoc edicit Deus per Eclesiast. c. XXVI. *In duobus constrictatum est cor*

meum, et in tertio vacundia mihi venit. Quodnam illum tertium? Qui transgreditur a justitia ad peccatum, Deus paravit eum ad rhomphæam. Hinc scilicet, ut timendum, quæ egredi visa est ex ore iudicis venturi, ut dixi; et de qua c. II. seq. dicitur: *Hæc dicit, qui habet rhomphæam utraque partem acutam*. Quemadmodum enim malefactorum a tribunali hujus sæculi, semel iterumque dimissi, si rursus eadem scelera perpetrent tandem gladio exciduntur, quod spem emendationis tollant: ita, quid mirum, si agat Dei justitia? Egit certe cum Hebræis toties in Ægyptum reverti cupientibus ac dicentibus: *Constitutum nobis ducem, et revertamur in Ægyptum*. Sed quid ad hæc Deus? *Usquequo detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos pestilentia atque consumam*, Num. XXIV. Et mox: *Omnes homines, qui viderunt majestatem meam, et signa, quæ feci in Ægypto, et in solitudine, et tentaverunt me jam per decem vias, nec obediunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum*. Id quod eis contigit omnes in deserto mortui sunt, præter Josuem et Chaleb, qui soli stabiles reperti fuerant. Idem non obscure minatus est Dominus languido illi ad piscinam, qui, ut putat Sanct. Chryst. annis 38. infirmus ibi jacuit: *Noli amplius peccare*, inquit, *ne deterius tibi aliquid contingat*, Joan. V. Bone Deus poteratne aliquid deterius isti contingere, qui triginta octo annis languidus, miser et desertus ad piscinam jacuit? Numquid mors? At nonne morbus tam diuturnus, tantæ junctus desolationi, morte ipsa deterior reputari debet? Quid igitur nisi mortem æternam ipsamque adeo gehennam minatus illi est Dominus, si relaberetur? Quid expectant navigantes, quando vident navim suam non semel, sed iterum, tertio et quarto impingere in eundem scopulum, nisi certum naufragium, et interitum? Quando igitur et tu peccator toties impingis in eundem peccati scopulum, quid aliud expectare potes, nisi demersionem in gehennam? Sensere priori sæculo neophyti Dolenses in Maurica gravissimam Dei vindictam postquam a fide, quam a S. Francisco Xaverio edocti susceperant, simulque a Lusitano rege defecerant, sacra æde eversa, cruces sacrasque divorum effigies fregerunt, bona etiam piorum fidelium invaserunt; uti refert in vita S. Xaverii Tursellinus, lib. II. c. V. in hæc verba: « Primum illorum ager ex feracissimo squalidus ac sterilis factus, fruges etiam in horreis dira tabe consumptæ, aquæ subito amaræ noxiæque e salubribus redditæ: fame quoque ac lue multi mortales absumpti.

Cœlesti ira afflictis Lusitani belli incubuit moles. Quippe Molucarum insularum præfectus, Francisco pii belli felicem exitum spondente, classem adversus perfidos misit cum delecta Lusitanorum manu. Et classis dux, sancti viri prædicatione ac spe divinæ opis erectus, haud segniter bellum capessebat. Placuit tamen, priusquam inferrentur arma, experiri per legatos, an spes veniæ oblata posset rebellium mentes ad sanitatem revocare. Postquam superba eorum responsa afferebantur, Lusitanus pœnæ avidus in hostem ducit. Arx est in edito loco posita, nec minus manu quam situ munita. Et fraus hostium accesserat. Quippe imminenti belli haud ignari, circa muros longe ac late, stimulos muricesque ferreos defoderant, in quos Lusitani sese induerent, si propius accessissent. Exitialis non solum irrita oppugnatio extitisset, nisi præsentem pestem Francisci avertissent preces, interclusumque aditum aperuissent. Nondum Lusitani excensionem fecerant, cum mira opportunitate stare cum eis Deum ac pugnare apparuit. Sol circa meridiem repentina caligine effusa, haud disparem nocti tempestatem dedit. Et simul ex vicini montis vertice cum horrendo mugitu ac fragore tetrum fœdumque erupit incendium, quo tres dies noctesque ingens cineris pumicumque vis (quod nunquam antea evenisse constat) inde egesta: quæ non modo murices ferreos oppressit, sed etiam areis fastigium æquavit. Ecce autem improvise malo attonitis barbaris, major ex vicino terror inculitur. Per idem tempus terræ motus insolitus tectorum urbis ingentem edidit stragem. Tolanis tam atroci tempestate defunctis, Lusitanus supervenit armatus. Nec prælium illud fuit. Plerosque hostium aut ruinæ tectorum oppresserant, aut pavor compulerat in fugam. Et aggeratus pumex facilem in mœnia ascensum dabat. Ergo arx, oppidum totaque regio sine ullo certamine subacta, vietis certis conditionibus pax data: quarum ille præcipuæ, ut templum eversum reficerent, bona piis adempta restituerent, suscepta semel Christi sacra in posterum sancte colerent pieque. » Certe hinc apparet, quam graves mereantur pœnas, qui a suscepta veritate perfide retrocedunt. Graviter S. Petrus, epist. II. c. II. ait: *Melus erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato*. Gravius enim isti peccant, quia ex majori scientia, et cum majori ingratitudine. Certe etiam magistratus eos malefactores, qui post dimissionem, ob flagitia repetita ad carceres retrahuntur, severius multo, quam in primis vinculis; et si ista affugerunt,